



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio XXVI. De Suffragiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

inuato, propter rationem traditam, quia sententia prolata, & acceptata, non potest alterari sine consensu utriusque partis in iis, quæ sunt in eorum præiudicium, aut grauantem.

114. Quid, si penitentia fuit præseruatiua.
Ultimò dubitari solet, an quādo secundus Confessarius potest commutare, vel minuire penitentiam ab alio impositam, possit id facere, licet penitentia illa fuerit imposita, vt præseruatiua à primo Confessario Negat Zerola in *praxi penit.* c. 15. q. 1. Alij affirmant, quando Confessarius secundus iusta de causa penitentiam illam præseruatiuā cōmittat in aliam præseruatiuā. Ita Bonac. in *præfati d.* 1. 3. q. 5. f. 3. punct. m. 5. & Diana 2. tom. tr. de *Sacram. res.* 137.

Distingendum est de penitentia præseruatiua: aliqua enim potest esse, quam Confessarius iudicauit, cognito statu penitentis, ita necessariam ad eius peccata vitanda, vt penitens ipse ex se obligatus esset ad illam medicinam sibi adhibendam; qualiter potest aliquando teneri ad vtendū carnis maceratione, qui grauissimis carnis tentationibus vexatur cum periculo proximo consentiendi. Et huiusmodi quidem penitentiam non potest secundus Confessarius licite auferre, cum neque ipse penitens, etiam ablata à Confessario, posset relinquere. Dixi, licet: quia, si secundus Confessarius, auditis eisdem peccatis, vt diximus, penitentiam illam auferret; valida esset ablato quoad hoc, vt iam penitens non teneretur ex præcepto Confessarii illam exequi: sed solum ex præcepto naturali, quo obligatur ad vtendum medijs, quæ necessaria sunt ad vitandum peccatū mortale: ita vt de cætero penitens, omiſsa illa penitentia, peccaret quidem contra hanc obligationem naturalem; non tamen contra præceptum positiuum Confessarii, nec contra reuerentiā Sacramenti, aut virtutem religionis: quia, sicut primus Confessarius, licet peccasset non admonendo penitentem de illa obligatione; valide tamen optaretur, non adiciendo præceptum positiuum circa illam penitentiam; ita secundus audita iterum confessione, posset eodem modo relinquere penitentem liberum à vinculo illo præcepti positivi. Cæterum, sicut peccaret graniter Confessarius dispensando in voto, vel illud commutando, quando præmit ablatō voto, facilius penitentem lapsurum in peccata carnis, v. g. qui prius voti freno coerceretur: ita in casu nostro peccaret Confessarius secundus auferendo vinculum à primo Confessario impositum, quādo timeret, eo ablato, penitentem relicturnum remedium illud necessariū sibi ad vitandos lapsus graues.

115.

Aliquando verò penitentia præseruatiua, imposita à primo Confessario, est quidē vtilis, non tamē ita necessaria ad vitanda peccata futura penitentis: & tunc secundus Confessarius, audita priori confessione, vt diximus, poterit quidē valide tollere obligationem ad illam penitentiam, commutando in aliam, sicut potuisset primus in prima confessione. Poterit etiam licite in iis circumstantiis, in quibus primus Confessarius potuisset eam penitentiam nō imponere: sæpē enim tenetur Confessarius ad imponendas penitencias medicinales, & præseruatiuas, vt constat ex *Trid. sess. 14. c. 8.* quia, cum sit Medicus, debet medicinam conuenientem applicare. Si ergo in his circumstantiis indicat secundus Confessarius, attenta, vel fragilitate penitentis, qui penitentiam non implebit, vel eius emendatione, vel alia de causa, jã non opus esse, quōd talis medicina ei ex obligatione iniungatur; poterit in aliam penitentiam commutare: quia, quōd à primo fuerit, vt præseruatiua, imposita; non addit nouam obligationem, sed solum motiuum ex parte Confessarii ad imponendam illam: obligatio autē penitentis tota

P. Ioan. de Lugo de *Penitentia*.

oritur ex eo, quōd sibi imposita est à Iudice in penam peccati: Confessarius enim, licet debeat curare penitentem, vt Medicus; non tamen potest, vt Medicus, illum obligare; sed solum, vt Iudex. Debet itaque ipse, vt medicus, ad remedium penitentis præcipere, vt Iudex, in penam illa opera, quæ simul sint medicina: penitens tamen, ablato præcepto Iudicis, vt iudicis, non tenetur obedire sub mortali in iis, quæ alijs non sunt ei necessaria ad salutem, vt dicemus *disp. 27. de Indulgentiis*, agentes de eorum efficacia ad liberandum penitentem ab obligatione circa penitencias impositas.

DISPUTATIO XXVI.

De Suffragiis.

SECT. I. *An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare.*

SECT. II. *De iis, quibus applicari possunt suffragia; & de conditionibus requisitis ex parte ipsorum.*

SECT. III. *De iis, qui suffragia afferre possunt, & quæ conditiones in iis requirantur.*



IXIMVS de satisfactione, qua aliquis ex opere operatis potest de cōdigno diluere debitum penæ temporalis, quod habet, atque etiā de satisfactione Sacramentali, qua per Sacerdotis clauēs, & virtute Sacramenti potest ex opere operato liberari ab eodem reatu penæ. His autē affinis valdē est modus, quo fideles sese inuicē iuuant ad solutionē huius debiti, quatenus vnus satisfacit pro alio viuo, vel defuncto, quæ dicuntur suffragia, de quibus dicemus *hac disp.* postea verò *disp. seq.* dicemus de alio modo, quo diluitur hoc debitum ex opere operato per satisfactiones Christi, & Sacrorum, quæ nobis applicantur per Indulgentias ab habēte clauēs thesauri Ecclesiæ, in quo illæ reseruantur.

SECTIO I.

An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragiis iuuare?

Certum est ex fide, dati aliquo modo hanc suffragiorum communicationem, & habetur in Symbolo, in illis verbis: *Sanctorum communionem*. Quod in genere loquendo, constat ex multis Scripturæ locis, quæ congerit Suarez *disp. 48. sect. 1.* quæ docent, alios ab alijs, orationibus saltem, adiuuari. Quōd autem possint etiam adiuuare sese ad satisfaciendum pro debito penæ temporalis, ex consuetudine, & sensu Ecclesiæ, & ex consensu Theologorum, ac PP. testimonijs probat idem Suar. *ibi*.

Aliqui moderni dixerunt, totum hoc fieri, quatenus alij alijs impetrant remissionem penæ; atque idēd, illum, qui pro alio satisfacit, non priuari satisfactione ex suo ieiunio, v. g. sibi proveniente; sed satisfacere propriē pro se, & impetrare remissionem penæ pro alio, pro quo illud opus offert. Hæc sententia aduersari videtur alijs omnibus Theologis, quos latē congerit Suar. *sect. 2. n. 4.* & Catechismo Pij V. vbi in *fine de Sacram. Penitent.* Catechism; n. 61. sic habetur: *In eo summa Dei bonitas, & clemētia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humana imbecillitati hoc condonauit, vt vnus pro alio possit satisfacere.* Et *infra* hanc appellat solutionem his verbis: *Qui diuina gratia præ-*

1.
Non est sola
impetratio.

A A a 2. dist

dicti sint, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere: quare sit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Et subdit: Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo, Sanctorum communionem profiteamur. Soluere autem, & satisfacere, non est impetrare, ut constat; sed pretium offerre: possunt ergo non solum impetrando, sed soluendo aliis suffragari. Et quidem hic est fidelium sensus, qui omnes putant, se suis satisfactionibus spoliare, quando eas pro aliis viventibus, vel defunctis offerunt.

Ratione etiam probatur primò: quia, quod attinet ad impetrationem, non minùs, sed magis possunt nos Beati iurare pro nobis intercedendo: nunquam tamen dicuntur pro nobis satisfacere, sicut qui ieiunant, aut se pro nobis castigant. Secundò, quia hic modus soluendi, patiendi pro aliis, non repugnat ex se: cum Christus Dominus utroque modo nobis profuerit, nempe merendo, & rursus satisfaciendo etiam pro nobis, ut constat ex satisfactione ipsius, quæ pro debito pœnæ nobis applicatur per Sacramenta aliqua, & Indulgentias: poterit ergo satisfactio etiam vnius iusti alteri applicari. Tertid, quia de facto satisfactiones Sanctorum in Ecclesiæ thesauro repositæ nobis applicantur per Indulgentias ad solutionem pœnæ debitæ, ut videbimus *disp. seq.* ergo à fortiori ipsimet poterunt eas applicare, quando actu operantur: quod enim Ecclesiæ, quasi eorum hæres, facit, cur non potuissent ipsimet, qui domini erant eorum operum, quando ea faciebant, eodem modo disponente applicando aliis? Quartò, quia si impetratione possunt iusti aliis obtinere remissionem pœnæ, cur non poterunt oblatione pœnæ æqualis; cum facilius sit apud homines æquali, vel condigno pretio aliquid obtinere, quàm gratis solum precibus, & impetratione? Denique ratio à priori est: quia opera iusti de se habent æqualitatem in ratione satisfactionis cum pœna illa temporali, pro qua offiuntur, alioquin nec pro se posset condignè satisfacere: ergo oblata pro alio habebunt eandem condignitatem, cum non sit plus, quod alteri auferatur de debito pœnæ, quàm quod ipsi satisfaciendi auferretur.

Obiicies primò, ille, qui peccavit, erat dignus pœna: ergo semper manebit dignus, donec vel puniatur, vel satisfaciatur. Respondetur, hoc argumentum probaret, quod nec per Christi satisfactionem illi applicatam posset liberari à debito pœnæ. Negatur ergo consequentia: quia dignitas pœnæ, sicut tolli potest per meram Dei condonationem; ita facilius per satisfactionem condignam ab alio oblatam, & à Deo acceptatam.

Obiicies secundò, non potest contritio vnius satisfacere pro culpa alterius: ergo nec pro pœna. Negatur consequentia: quia Deus congruentissimè noluit de facto remittere culpam sine retractatione ipsius peccatoris: ut qui voluntariè peccavit, voluntariè redeat ad Deum: quæ ratio non procedit in solutione pœnæ, quæ non debet esse ita voluntaria; præsertim, cum contritio propria, nec aliena, non sit satisfactio condigna pro culpa mortali: atque adeò non sit ex parte ipsius tantum fundamentum, ut debeat acceptari, quando offertur.

Obiicies tertid: Non potest vnus iustus applicare sua merita condigna alteri, nec Deus acceptat talem applicationem: ergo nec poterit applicare suam satisfactionem. Negatur etiam consequentia: nam illa prior non esset bona, nec prudens liberalitas; privare, nimirum, seipsum argumento æternæ gloriæ, ut daret aliis: in eiusmodi enim bonis æternis ordo charitatis exigit, ut ne aliis ora-

nibus præferam, & retineam totum oleum mihi, ceteros autem mittam ad vendentes, ut emanent sibi. At verò in damno temporali, quale est pœnæ detrimentum pro meis proximis: præsertim, cum contingat, aliquem tunc non indigere sibi illa satisfactione, & cum ex illa liberalitate crescat meritum in ordine ad maius præmiū æternum sibi comparandum. Vide, quæ dixi *disp. 5. de Incarnat. sect. 8. num. 148.* Alia argumenta leniora asserit, & dissolvit Suarez illa *sect. 2.*

Prima difficultas est, an hæc satisfactio pro aliis prosit infallibiliter, an vero id pendeat ex arbitrio Dei absque vlla lege acceptandi eiusmodi satisfactiones pro aliis oblatas. Negant aliqui talem legem infallibilem. Ita Medina, & Corduba apud Suarez *sect. 3. num. 22.* quorum sententiam probabilem indicat Coninch in *presenti, disp. 10. dub. 7.*

Communis tamen, & verior sententia affirmat, & supponitur planè in verbis Catechismi Romani supra adductis, quibus dicitur: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere, &c. Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo, Sanctorum communionem profiteamur.* Vbi in primis ponderari potest illa propositio vniuersalis, *possunt persolvere.* Nam, si iusti possunt: ergo habent in sua potestate id totum, quod requiritur ad eum efficiendum: ergo & acceptationem Dei, quæ utique requiritur: non enim dicimur simpliciter posse id, quod non pendet à nostra sola voluntate: non enim dicitur Petrus posse habere librum Pauli, si ipso petente Paulus possit negare. Rursus ponderandum est, quod dicitur, id contineri in illo articulo Symboli, quo credimus Sanctorum communionem: cum enim verba illa non significant communionem possibilem, aut conditionatam, si Deus velit, sed absolutam; si in illis verbis continetur hæc satisfactio vnius pro alio, consequens erit, quod hæc absoluta sit, & non solum sub illa conditione.

Ratione item probari potest: quia satisfactio Sanctorum, quando ab Ecclesiæ per Indulgentias alicui legitimo modo applicatur, infallibiliter prodest, & acceptatur à Deo, ut videbimus *disputatione sequenti*: ergo, quando ab ipso operante applicatur, non minùs infallibiliter acceptabitur à Deo, ut superius dicebamus, plus iuris videtur habere in illa opera eius auctor, quando ea facit, quam alij, in quo postea quasi in hæreses transsit distributio illarum satisfactionum.

Dices, hoc ad summum probare de satisfactione superflua, quæ ipse operans sibi non indiget; hæc enim sola reponitur postea in thesauro Ecclesiæ, & applicatur per indulgentias: loquendo autem de illa, quæ operans sibi indiget, congruè erat, ut Deus eam pro alio non acceptaret. Sed contra hoc adhuc virget, quod loquutiones Patrum de hac materia vniuersales sunt, & sine distinctione inter satisfactionem superflua, & non superflua: quando enim loquuntur de suffragiis, quibus vtentes possunt defunctorum animas iuvare per orationes, ieiunia, elemosinas, sacrificia, &c. vniuersaliter loquuntur, & ponderari possunt ad id verba Concilii Flor. in litteris unionis, vbi dicitur, *Defunctis, ut à peccatis reuelentur prodesse viuorum suffragia, Missarum, scilicet, sacrificia, orationes, elemosinas, & alia pietatis officia quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt.* Vbi vniuersaliter docet, illa suffragia prodesse quædo pro defunctis fiunt. Eadè autem ratio est, quando offertur pro aliis vnius, cum nō minor, sed maior communicatio si cum aliis vnius, qui sunt actu membra

membra eiusdem Ecclesie militantis, & habent maiorem coniunctione, & familiaritatem inter se.

An verò hæc satisfactio pro aliis oblata applicanda sit de condigno, & de iustitia, dicendum omnino est, sicut diximus *supra* de satisfactioe, pro seipso esse quidem de condigno propter easdem ferè rationes: quia, nimirum, dignum est, ut, si aliquis innocens patienter patitur, relaxetur eius in futurum poena, quam alius eius frater, vel cognatus debebat, & quod possit ipse passione illa spontaneè suscepta redimere filij, vel fratris poenam. Rursum dici poterit de iustitia, non quidem commutativa, quam non habet Deus ad homines, sed vindictivam, non quidem de eius iustitiæ rigore quoad modum, cum posset iustissime Deus alienam poenam non acceptare, sed exigere ab ipso debitore, sed tamen esse de iustitiæ rigore quoad æqualitatem, cum non minor satisfactio ab operante offeratur, quam esset illa, quam ipse debitor ponere debuisset ad satisfaciendum æqualiter, & de condigno.

Secundà difficultas esse potest, an, ut Petrus liberetur à debito poenæ, sufficiat, quod Paulus iustus obliget se ad satisfaciendum pro illo sub eadem poenâ, si non satisfecerit. Videtur enim id sufficere, cum apud homines sufficiat fideiussio ante actualem solutionem. Respondetur tamen, id non sufficere; quod videntur Theologi communiter supponere: quia alioquin sæpe manerent peccata impunita, videlicet, moriente Paulo, v. g. antequam posset ponere satisfactioem, quam pro Petro promiserat. Dices: Solueret tunc ipse fideiussor in Purgatorio. Sed contra primò: quia illa non esset satisfactio; sed satisfactio, seu punitio. Secundò, quia in Purgatorio nemo punitur, nisi dignus sit poenâ; ille autem non sit dignus poenâ propter aliena peccata; & supponimus, ipsum non peccasse omitendo satisfactioem promissam; quia non habuit tempus implendi promissum. Imò, etiam si peccasset in ea omissione, iam tunc punitur propter suum peccatum novum; non verò propter peccata Petri.

Dices iterum: Saltem, quando Deus prævidet ponendam satisfactioem, cur non potest eius intuitu extinguere nunc reatum Petri; sicut propter præmissam satisfactioem futuram Christi remittebat, & condonabat aliquid antiquis Patribus? Respondetur, idem argumentum posse fieri ad præbandum, quod possit hodie Petro deberi de condigno præmium propter merita cras ab ipso ponenda. Ad quod diximus latè *disp. 17. de Incarn. sect. 3. num. 40. & seqq.* ubi dixi, id esse speciale meritum Christi propter suum infinitum valorem; & ratio nem reddidi. Idem ergo cum proportionem dicendum est de satisfactioe, quæ, si finita sit, non potest de condigno obtinere illam anticipatam solutionem, cum non possit esse debitor de condigno ille, qui adhuc nihil recepit, sed recepturus est.

Tertià difficultas esse potest, an possit homo iustus abdicare omnino à se satisfactioem non applicando illam alteri. Respondetur negativè: quia hic effectus satisfactiois oritur necessariò ex poenaliitate voluntaria, & laudabili: nam eo ipso, quod homo iustus laudabiliter patitur, æquum est, ut illi compensetur ea poenâ pro aliqua parte poenæ debite. Quare, sicut non potest abdicare ius merendi per bona opera; sic nec satisfaciendi.

Dices: Poterit reponere suam satisfactioem in thesauro Ecclesie. Sed contra: quia hæc repositio, ut videmus *disputat. sequenti*, non pendet ex eius voluntate; sed Deus ex æquitate quadam id, quod iusto superest, reservat in utilitatem aliorum, qui indigent: quare, dum ego indigeo, non possum illud abdicare, nisi applicando alteri indigenti;

P. Ioan. de Lugo, de Penit.

sicut nec possum reservare illud pro necessitatibus futuris, ut *postea* videbimus. Hinc infero, si applicas hodie ieiunium pro aliquo defuncto; hinc autem sic damnatus, vel Beatus; fructum satisfactiois redire ad te, & tibi prodesse: quia non aliter potes illud abdicare, nisi in quantum applicas alteri, quæ applicatio in casu illo non habuit effectum.

Quarta difficultas esse potest, an possim ego applicare aliis satisfactioem, quæ mihi venit ex opere operato ex Poenitentia sacramentali; vel etiam, quæ provenit mihi ex ieiunio, quod mihi applicat Petrus. Videtur posse: quia hæc etiam satisfactio potest mihi esse superflua, si ergo non indigeo: quare, cum aliunde iam sit mea, videtur, quod possim de illa disponere, sicut de mea.

Verius tamen videtur, non posse regulariter id fieri: quod supponit etiam Suarez *disput. 38. sect. 9. num. 4.* & potest probari primò à posteriori: quia, si id fieri posset, sequeretur, posse aliquem abdicare à se satisfactioem ex opere operato, quam habet ex Baptismo vel martyrio, in quibus acquiritur remissio totius poenæ temporalis. Consequens autem est absurdum: quia, si illa translatio satisfactiois esset valida, ille Martyr deberet esse in Purgatorio ad solvendum suum debitum poenæ, atque adeò esset capax suffragiorum, quæ pro ipso posset offerri: quod est contra Ecclesie sensum, omnes enim supponunt, Martyrem, vel eum, qui statim suscepto Baptismo moritur, non deineri in Purgatorio propter plenitudinem remissionis, quam ex opere operato accipiunt.

A priori autem ratio esse videtur: quia, quando mihi applicatur satisfactio Christi, vel alterius; ego non sum dominus illius; sed habeo me passivè illam recipiendo: non ergo possum illam applicare: nam opera mea non aliter possum applicare, nisi quia sum actiue eorum dominus, nec aliter sum dominus, nisi, quia habeo dominiū libertatis respectu ipsorum operum, ut dicemus *sect. 1.* quare satisfactio mei ieiunij subest solum medià meo dominio; quatenus ipsum ieiunium subest immediatè, ad quod consequitur satisfactio: ergo, ubi cessat ratio domini, cessat potestas applicandi aliis satisfactioem.

Confirmatur primò: quia, si Sacerdos offerat Missam pro Petro, non potest Petrus fructum sibi ex illo Sacrificio provenientem applicare pro alio: hoc enim esset, Petrum offerre illud Sacrificium pro alio; quod quidem est proprium offerentis Sacrificium; non illius, pro quo offertur. Posset quidem Petrus petere, ut Missa offerretur pro sua intentione; & tunc ipse posset habere intentionem pro alio; sed tunc non applicaret Petrus Sacrificium; sed Sacerdos immediatè illud applicaret pro persona, quæ esset in mente Petri. At verò, si Sacerdos applicat pro ipso Petro non posset Petrus illum fructum offerre pro alio. Similiter ergo, si alius hodie pro me determinatè ieiunat, non possum ego illud fructum applicare alteri: nam unusquisque respectu sui operis est quasi Sacerdos illud offerens determinatè pro tali, vel tali persona: quare, sicut ego non facio opus Petri, quod pro me offertur; ita non possum illud offerre pro aliquo, quia offerre pro aliquo, est facere illud pro aliquo.

Confirmatur secundò: quia, si Petrus velit oratione sua impetrare pro me, non possum ego impetrationem illam offerre pro alio; quia ego non possum orare per orationem Petri: ergo, si Petrus ieiunet pro me, non possum ergo illud ieiunium applicare pro alio: quia, sicut impetratio est actio personalis; ita satisfactio, quæ nihil aliud est, quam placare Deum per ieiunium, ne me puniat; non possum autem ego placare Deum per ieiunium Petri; sed ipse Petrus, qui ieiunat pro me, placat Deum pro me.

Ad 3

Deus

Deus autem attendit ad intentionem solius ieiunantis, vel orantis, cuius opus remunerat, non ad intentionem meam, pro quo offertur.

14.

Dixi, regulariter non posse id fieri: quia Sacerdos certò potest applicare satisfactionis fructum provenientem ex opere operato, ratione sacrificij: hoc enim pertinet ad Sacerdotem, ut Ministrum Christi; quòd possit partem illam, & fructum, qui correspondet Christo, ut offerenti, applicare, cui voluerit. Hoc tamen idèd potest, quia Christus offerens Sacrificium habet se actiue ad illud, sicut Petrus ad sumum ieiunium; & sicut Christus posset Sacrificium, & eius fructum applicare aliis; ita Sacerdos, quem Christus sibi ad hoc substituit, poterit id facere; quia etiam consideratur, ut principium actuum illius operis. Quod idem fortasse dicendum esset de fructu Sacrificij, qui provenit audientibus Missam, prout suo modo sunt etiam offerentes: nam ij etiam videntur comparari, ut principium actuum ad obligationem Sacrificij, quam suo modo faciunt. Vnde, si vera esset sententia docens, illis etiam provenire fructum satisfactionis ex opere operato, possent fortasse singuli offerre, & applicare illam partem aliis. Quia tamen disput. 19. de Eucharistia, sect. 11. diximus, non correspondere illis hunc fructum ut offerentibus, sed solum ex opere operantis; non ponimus iuxta hanc sententiam, applicare aliis, nisi satisfactionem, quam possent habere ex opere operantis; sicut poterant applicare Sacerdotes antiqui in Sacrificiis, quæ offerebant.

15.

Dices: Qui implet pœnitentiam sacramentalem; & non indiget eius fructu ad soluendam pœnam debitam pro peccatis, quæ tunc est confessus; non perdet effectum illius satisfactionis ex opere operato; sed proderit illi ad soluendam pœnam debitam pro aliis peccatis: ergo similiter, si non indiget illo fructu pro se, poterit illum applicare pro peccatis alienis. Respondetur, fructum ex opere operato satisfactionis sacramentalis, meo iudicio, non prodesse, nisi ad expiationem pœnæ debitæ pro peccatis, quæ confessus est: quia hæc pars Sacramenti ordinatur ad tollendum reatum pœnæ illorum vulnerum, quorum culpas abstulit absolutio; & ad hunc finem imponit Sacerdos illam satisfactionem, ut commutet, scilicet, pœnam pro illis peccatis debitam in eam pœnam, quam virtute Sacramenti, & clauium eleuat ad expiendam illam aliam pœnam: nisi fortè velimus etiam extendere hunc effectum ad pœnam debitam pro illis aliis peccatis, quæ ob iustam causam, vel obligationem omissa sunt, & à quibus indirectè absoluitur. Multò ergo minus poterit fructus illius satisfactionis extendi ad soluendum ex opere operato pro peccatis alienis.

16.

An sit melius
retinere sibi
satisfactio-
nem.

Quinta difficultas esse potest, vtrum sit melius applicare suffragium defunctis, quam retinere sibi: videtur enim magis expedire hoc secundum; quia ordo charitatis petit, ut nos magis diligamus, quam proximum. Respondetur tamen, laudabilius esse primum: quia in his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter proximum, ut suppono ex 1.2. quæst. 26. cum hoc enim stat, quòd simpliciter magis nos diligamus, cum in rebus æternis nos præferamus aliis omnibus.

Deus, quibus applicari possunt suffragia; & de conditionibus requisitis ex parte ipsorum.

Certum in primis est, non debere, nec posse offerri suffragia pro Beatis, cum ipsi nullum habeant debitum pœnæ soluendum. An verò aliis quo modo prosit illis Missæ Sacrificium, quod idem est de aliis suffragiis, diximus disp. 19. de Eucharistia, sect. 10. Certum etiam est suffragia non prodesse iis, qui sunt in inferno, nec quoad debitum pro peccatis mortalibus non dimissis, nec quoad debitum pro venialibus, aut pro mortalibus dimissis quoad culpam: quia quoad omnia verissimum est, quòd in inferno nulla est redemptio: esset autem redemptio aliqua, si redimi possit viventium suffragiis aliqua pars illius condemnationis. Videatur Suar qui latè de hoc agit disp. 48. sect. 4.

Certum etiam est, prodesse suffragia animabus defunctorum, quæ sunt in Purgatorio: quod fidei dogma traditum in Trid. sess. 25. in principio latè probant contra Hæreticos nostri temporis Controuersistæ, quos refert Suar loc. cit. n. 7. qui etiam congerit fundamenta huius veritatis ex Scriptura, Conciliis, & Patribus. An verò prosint illis suffragia, non solum per viam satisfactionis, sed etiam impetrando illis immediatè aliquam remissionem pœnæ per applicationem satisfactionis Christi; diximus disp. 24. sect. 1. ubi ostendimus, non repugnare, quòd precibus Beatorum, vel etiam viatorum Deus interdum immediatè condonet aliquam pœnæ partem animabus Purgatorii. Constat denique ex supradictis, hanc satisfactionem posse aliquo sensu appellari de iustitia, licet non quoad modum, quia potuit non acceptari à Deo; quoad æqualitatem tamen pretij, quod offertur. Verius etiam est, habere effectum infallibilem, ut diximus sect. præced. quod latè probat Suar. sect. 7. n. 6.

Quæritur primò, an prosint omnibus animabus Purgatorii: dubitari enim potest de Catechomenis. De his autem dixi dicta disp. 19. de Euchar. sect. 10. Et quidem licet suffragium Sacrificij eis prodesse non possit: de iis tamen, quæ singuli ex opere operantis possunt pro eis offerre, non videtur dubium, quin possint illis prodesse, cum habeant coniunctionem fidei, & charitatis, cum aliis iustis. Quare, sicut, dum erant in hac vita, possunt fideles pro eis orare, & eis impetrare; sic possunt postea, quæ etiam suas satisfactiones eis communicare.

Quæri potest secundò, an suffragium, quod pro defuncto offertur, prosit indirectè aliis defunctis. Videtur, quòd non prosit aliis: quia tota illa satisfactio offertur pro vno, & illi tota applicatur: ergo virtute illius nulli alteri remittitur aliqua pœna. Aliunde tamen videtur, quòd saltem indirectè prosit aliis: quia animæ illæ sanctæ habent inuicem maximam vnionem charitatis, & dilectionis mutue; quare necesse est quòd omnes gaudeant de subleuatione alterius, & de remissione ei concessa: ergo habent omnes læticiam aliquam accidentalem de illo suffragio: ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionem. In quo sensu non video inconueniens, quòd hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod accidentale lenamentum, perseverante pœna essentiali, ut ita dicam, in eodem rigore. Nam, sicut non omnia gaudia accidentalialia, quæ Beati habent in cælo, necesse est, quòd

quod oriatur ex mensura meritorum, & beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliunde; imò & possumus nostris orationibus ea illis impetrare, ut fatetur tandem Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. de orat. c. 14. n. 4.* cōtra id quod dixerat *tom. 3. in 3. p. disp. 78. sect. 3. circa fin.* possumus etiam nostra conversione, & bonis operibus eos lætificare: sic possumus dare occasionem alicuius solatii accidentalis animabus Purgatorij; nam etiam ante oblatum suffragium pro ea, si ego habeo iam hodie propositū celebrandi cras pro illa anima; huius propositi notitia potest esse occasio solatii accidentalis. Similiter ergo suffragium oblatum pro vna anima, potest esse occasio solatii accidentalis aliis, quatenus latentur de liberatione sodalis, & sperant eius patrocinio in cœlo, obtinere aliquid ad propriam etiam liberationem. Non ergo prodest illud suffragium, nisi vni animæ, pro qua offertur, per modum suffragij, & solutionis: potest tamen occasionaliter afferre solatium aliis per modum obiecti lætificantis, sicut conversio filij, aut amici augeat gaudium accidentale Beatis, non per modum meriti; sed per modum obiecti lætificantis accidentaliter illos.

19. *An aq̃e p̃sent in eo, pro quo offertur.*
 Quæri potest tertio, an ieiunium Petri, v. g. applicatum alteri, prodest ei, pro quo applicatur tantum, quantum prodesset ipsi Petro, si retineret sibi satisfactionem. P. Suarez *in præfatis, disp. 48. sect. 3. n. 6.* respondet affirmativè, si opus idem sit: potest enim contingere, quod ieiunium ipsum cum oblatione illius pro defuncto sit opus melius, quàm fuisset ieiunium sine illa oblatione: quare iam plus proderit defuncto, quàm profuisset ipsi Petro ieiunium solū, si Petrus applicet defuncto, & ieiunium, & obligationem etiam illam: contingit enim sæpè, quod solū offerat pro defuncto ieiunium; & tunc oblatio ieiunij pro defuncto adest fructum satisfactionis ipsi Petro, qui non applicuit defuncto per voluntatem reflexam ipsam oblationem ieiunij.

20. *An p̃sent in eo, pro quo offertur.*
 Hæc doctrina formaliter intellecta vera est, etiam si ille, pro quo ieiunium offertur, habeat maiorem, vel minorem gratiam, quàm ipse offerens: quia valor satisfactionis non sumitur ex dignitate maiori illius, pro quo offertur; sed illius solū, qui offert, & operatur. Dixi tamen, *formaliter intellectum esse veram illam doctrinam*: quia materialiter existimo non esse veram; sed posse aliquando habere maiorem effectum materialiter, aliquando minorem in eo pro quo offertur, quàm haberet in ipso offerente. Pro quo adverte, ex duobus iustis, quorum vnus habet gratiam ut quatuor, alter ut octo, si habeant æqualia peccata soluenda in Purgatorio, purgandum fortasse celerius eum, qui habet maiorem gratiam: quia eadem pœna materialis in homine nobiliori, & digniori censetur moraliter maior pœna, quàm in homine inferioris notæ: ut, si homo nobilis, v. g. in vincula coniciatur, vel mittatur in exilium per annum, censetur maior pœna moraliter, quàm si idem fieret de homine plebeio: ergo similiter punire in Purgatorio per triduum hominem sanctissimum granior pœna moraliter erit, quàm punire per triduum hominem multo inferioris sanctitatis, atque adeo plus requiritur in hac vita ad satisfaciendum pro biduo Purgatorij hominis sanctissimi, quàm pro biduo hominis minus sancti: quia plus requiritur ad satisfaciendum pro maiori, & graniori pœna. Quo supposito, consequens videtur, si ille, qui offert ieiunium pro alio, habet gratiam ut quatuor, & ille, pro quo offertur, habet gratiam ut octo; quamvis effectus ieiunij, & satisfactionis in vitroque sit æqualis formaliter; esse tamen inæqualem materialiter, ita ut si possit valere pro vno die Purgatorij illius, pro quo offertur, valuisset fortasse pro duobus, si applicaretur ipsi offerenti, vel è contra, si maior gratia sit in offerente, quàm in eo, pro quo offertur. Alioquin, si totidem dies Purgatorij exstingeret in vitroque, iam haberet maiorem effectum formaliter in vno, quàm in alio; quia plus est extinguere duos dies Purgatorij hominis sanctissimi, quàm hominis minus sancti, ut dixi.

Hinc obiter infero, eum, qui applicat sua opera, & satisfactionem pro alio, adhuc indirectè minuire reatum suæ pœnæ, moraliter loquendo: quia augeat verè gratiam per illa bona opera, & per consequens facit, ut pœna, v. g. decem dierum, quàm heri debebat, iam hodie non sit, nisi octo dierum: nam in homine magis grato pœna octo dierum æquivalet pœnæ decem dierum in homine minus grato.

Quæritur quartò de conditionibus, quæ requiruntur ex parte illius, pro quo offertur suffragium. Prima est, quod sit in statu gratiæ. Primò, quia alioquin non habet communicationem sufficientem cum aliis membris vivis, cum sit membrum mortuum. Secundò, & à priori: quia multò maior valor requiritur ad placandum Deum pro pœna sumenda de inimico, quàm de amico: ergo si opera iusti solū valent ad primum, non valebant de condigno ad secundum. Tertio, & à priori: quia, quando homo est in peccato mortali, debet pœnam æternam, pro qua non potest offerri satisfactio condigna. Deinde, nec pro pœna venialium potest satisfieri: quia non solū debet pœnam eorum; sed etiam meruit de condigno propter peccatum mortale, quod Deus nullum alienum suffragium acceptet pro eo, etiam ad redimendam pœnam venialium. Oporteret ergo placare Deum pro hoc duplici debito; nempe, pro pœna, quanti debet ex veniali; & pro debito non acceptandi suffragium pro illo: ergo multò plus requireretur ad extinguendam pœnam illius venialis in eo statim: quare non mirum, quod non valeant ad hoc suffragia aliena, quæ solū habent condignitatem ad primum debitum, non ad secundum, quod est multò gravius. Denique, cum pœna veniali correspondens, in eo statu non sit temporalis, sed æterna, propter coniunctionem cum mortali; non sufficit ad satisfaciendum pro illa pœna, quod sufficeret ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporis, ut *suprà* dicebamus de necessitate status gratiæ ad satisfaciendum pro pœnâ debita veniali proprio.

Dices: Ergo mentis ieiunium, v. g. accipit valorem aliquem, & dignitatem à gratia etiam illius, pro quo offertur, contra id, quod paulo ante dicebamus. Respondetur, negando sequelam: hoc enim non est accipere valorem à gratia illius; sed non impediri ab eius indignitate, ne habeat effectum, vel potius non reddi ipsum effectum difficiliorem propter peccatum mortale. Sicut, si emisses domum in monte Quirinali centum aureis, antequam à Pontificibus habitaretur; postea verò, quando cœpit ab eis habitari, non posses eo pretio illam emere; non, quia nummi non habeant eundem valorem; sed, quia domus ex vicino Pontifice facta est melior, & digna maiori pretio: sic etiam tuum ieiunium de se eundem valorem habet, siue offeratur pro peccatore, siue pro iusto; nec accipit valorem à gratia illius, pro quo offertur, quia tamen maius beneficium est remittere pœnam peccatori; idè est dignum maiori pretio.

Secunda conditio est, quod culpa sit iam remissa, ad hoc, ut suffragium prodest ad delendum reatum pœnæ. Rationem reddit Suarez *dicta disp. 48. sect. 7. num. 1.* quia dum manet culpa, manet homo intus in se dignus pœna, quæ dignitas oritur ex

Applicans
sua opera pro
alio, minuit
indirectè reatum
sua pœna.

21.
Non prod. st
peccatori.

22.

23.
Nec pro cul.
pa non remiss.

AA 4 culpa

culpa. Hæc tamen ratio difficilis est: quia pœna, ut vidimus *disp. 7.* non infligitur propter maculam habitalem, sed propter culpam actualem præteritam: ergo perseverantia maculæ habitualis non reddit hominem dignum pœna. Ratio ergo legitima videtur esse, quod non est congruum Deum acceptare satisfactionem pro pœna, quæ videtur esse indulgentia, & gratia, quamdiu manet adhuc aduersus, & indignatur propter culpam, sed prius debet placari ab offensa, & reconciliari cum homine, quam condonari, vel acceptet gratiosè satisfactionem pro pœna.

24.
Nec pro culpa
nondum
commissa.

Tertia conditio est indigētia actualis illius, pro quo suffragium offertur: non enim reservabitur illi pro culpa futura; sicut nec potest aliquis satisfacere nunc condignè pro finimet culpis futuris, vel pro earum pœna. Ratio est, quia in primis satisfactio sapit naturam pœnæ; est enim castigatio voluntaria: omnis autem pœna ex natura sua supponit culpam; nec potest offerri, vel acceptari condignè sub conditione, si postea subsequatur culpa; quia hinc oriretur postea licentia peccandi liberius absque metu pœnæ, cum sciret homo, iam esse satisfactum pro illa culpa. Secundò, quia pœna ordinatur ex natura sua, ut reus agnoscat, & retractet culpam, & (sicut dici solet) ut pœna aperiat oculos, quos clauferat culpa. Ergo, nec pœna, nec satisfactio, quæ eius vicem subit, potest ex natura sua, & condignè præcedere culpam: quomodo enim aperiet oculos, antequam claudantur?

25.

Dices: Imò æquum videtur, ut, qui pro Republica, aut Principe innocens passus est, postea, si deliquerit, mitius puniatur, habeaturque ratio pœnæ, quam sine causa passus fuerat. Respondetur, negari non posse, quòd æquitas id suadeat: potest tamen dupliciter id fieri. Primò, si ante culpam commissam accipiat condonationem pœnæ ob culpam futuram: & hoc quidem ex gratia fieri posset, non tamen ob æquitatem id condignè exigentem: hæc enim, ut dicebamus, esset impunitas antecedenter ad liberius peccandum concessa. Secundò, posset fieri illa compensatio post commissam culpam, ut iam tunc in memoriam reuocaretur, quod antea passus fuerat, & eius intuitu mitius postea puniretur. Et hoc quidem fieri posset etiam de condigno, si Princeps vellet, & de facto fit per concessores Indulgentiarum, per quas applicantur satisfactiones, & passionnes antiquæ Sanctorum, quarum intuitu nunc Deus mitius punit nostra peccata, vel omnem prorsus pœnam condonat, licet peccata ipsa posteriora sint: quia, nimirum, licet satisfactio præcesserit; eius tamen applicatio non præcessit, sed fit nunc post peccatum commissum: ita ut aliquo modo puniatio fiat post peccatum, quatenus nunc post peccatum fit compensatio, & acceptatio vnius pœnæ pro alia: ex qua acceptatione posteriori non sequuntur illa inconuenientia, quæ ex anteriori sequerentur. Non expediebat autem, quòd fieret lex antecedens de hac acceptatione, & compensatione postea etiam faciendæ: quia hæc lex haberet eadem inconuenientia, quæ acceptatio antecedens: nam, si scirent homines, quòd postea acceptandæ erant à Deo infallibiliter pœnitentiæ, & satisfactiones factæ ante peccatum, & earum intuitu Deum postea condonaturum pœnam; eodem modo fierent liberiores ad peccandum: idè oportuit non solum non acceptare illas satisfactiones antecedenter pro pœna postea incurrendæ, sed nec legem, aut decretum facere de acceptandis post peccatum satisfactionibus antea exhibitis, cum in vitroque casu essent eadem incommoda.

26.

Quartam conditionem addunt aliqui ex parte

eius, pro quo suffragium offertur; quòd, scilicet, illud acceptet. Suarez verò *dist. 7. n. 7.* dicit, *an requiratur acceptatio*, non requiri acceptationem formalem; sed sufficere interpretatiam, seu voluntatem generalem, quam quisque habet liberandi se à debito pœnæ, quocumque modo possit. Ergo sanè non video, ad quid requiratur hic consensus virtualis aut interpretatus; imò licet aliquis formaliter repugnet, non video, quomodo impediet effectum suffragij. Alioquin, si aliquis in Baptismo, vel martyrio diceret, se nolle accipere remissionem totius pœnæ ex opere operato; sed velle se partem aliquam solvere in Purgatorio; maneret adhuc debitor pœnæ: quod videtur satis absurdum.

Ratio autem à priori est: quia ille, cui applicatur satisfactio aliena, habet se merè passivè: causa autem passiva non concurret liberè, sed necessariè: ergo, cum solus offerens sit adæquata causa actiua, ab ipsius libertate pendet effectus, & non à libertate eius, pro quo offertur. Confirmatur: quia si ego oro pro alio, non potest ipse per dissensum impedire impetrationem meæ orationis, per se loquendo; licet forte possit per accidens, reddendo se indignum: ergo similiter non potest impedire finem mei ieiunij, quo intendo placare Deum pro illo: videtur enim eadem esse ratio.

SECTIO III.

*De iis, qui suffragia offerre possunt,
& quæ conditiones in iis
requirantur?*

Prima conditio requisita in offerente est, quod sit in statu gratiæ: alioquin, sicut non potest pro seipso, nec potest pro aliis satisfacere de condigno. Dubitatur, an hæc conditio requiratur in eo, qui offert suffragia publica nomine Ecclesiæ. Respondetur, Missam in primis in ratione Sacrificij habere suum effectum, etiam si Sacerdos sit in peccato: quia principalis offerens est ipse Christus, & propterea ab illo semper illa oblatio est Deo gratissima. Loquendo verò de orationibus, quæ sunt in Missa, & in diuino Officio, quæ offeruntur nomine Ecclesiæ; hæc orationes dictæ à Ministro peccatore habebunt impetrationem nomine Ecclesiæ; non tamen habebunt satisfactionem: quia Minister ipse non potest satisfacere, cum sit in statu peccati: Ecclesiæ autem non satisfacit per illas orationes, cum non sint opus pœnale ipsius Ecclesiæ, nec actus ab ea elicitus; sed solum imperatus. Restat ergo sola efficacia impetrandi; quatenus Ecclesiæ per os illius Ministri representat Deo suas preces, & vota.

Secunda conditio in offerente est, quòd habeat intentionem determinatam offerendi pro alio. Circa quod queri potest primò, an sine hac intentione accrescat aliquid singulis iustis ex bonis operibus aliorum, & quid sit illud. Respondetur, non provenire illis diminutionem pœnæ debite, nisi operans intendat pro eis satisfacere; sed provenire quandam impetrationem indirectam de congruo, quatenus congruum est, ut propter consortium bonorum Deus beneficiat iis omnibus, qui aliqua ratione ad eos pertinent, & cum eis habent aliquam coniunctionem.

Secundò queri potest, an hæc intentio debeat antecedere opus bonum; an verò possit etiam subsequi: ut sufficiat applicare Coronam, vel Rosarium, postquam recitatum est. Respondetur, debere omnino antecedere. Primò, quia alioquin posset operans suspendere applicationem suæ satisfactionis.

atisfactionis, quando ipse non indiget; & applicare postea, quando indiget. Secundo, quia possent etiam Beati, imò & damnati, applicare nunc suam satisfactionem præteritam, quam exercebant in gratia, dum essent viatores, & nemini applicuerunt. Ratio à priori videtur esse: quia non potest mea satisfactio à me applicari, nisi prout subest meo dominio: non subest autem meo dominio, nisi quatenus habeo dominium libertatis, per quam possum facere, & non facere illud opus; postquam verò factum est, iam non est meum, sed fuit meum: ergo postquam factum est, non subest amplius meæ applicationi, sicut nec meo dominio. Vnde idem dicendum est de Missæ Sacrificio, cuius fructus non potest in suspensio relinquere, sed debet antecederet applicari, alioquin reponitur in Ecclesiæ thesauro.

29. Tertiò queri posset, an hæc intentio applicandi suffragium pro alio sufficiat, si sit habitualis; an verò debeat esse actualis, vel saltem virtualis: an, scilicet, sufficiat, si ego heri applicui pro aliquo omnia opera satisfactoria huius mensis, ut quando non retracto hanc voluntatem, satisfactiones illæ ei prosint, etiam si postea nullo modo recordetur, an verò requiratur, ut ex illa voluntate procedam ad operandum, itavt voluntas præterita sit causa operationis sequentis. Pater Vasquez 2. tom. in 3. part. disp. 138. c. 6. dixit, requiri voluntatem virtuales, hoc est, quæ sit causa operis; nec sufficere voluntatem merè habituales, seu præteritam non retractam. Contrarium tamen probavi cum communi sententia disp. 8. de Sacram. in genere, sect. 6. ubi videri possunt fundamenta, & solutiones ad argumenta contraria, ne iterum eadem repetamus.

30. Dubitari etiam solet circa opera, quæ offeruntur pro defunctis eorum iussu, an prosint illis solum iuxta statum, & dignitatem hæredis, vel executoris, qui ea opera facit; an verò, etiam si illi sint in peccato, prosint defuncto propter voluntatem præteritam, quia illa opera fieri præcepit.

Hæc opera aliquando sunt eleemosyna, vel alia opera pietatis; aliquando sunt opera debita, v. g. restitutio faciendæ dominis, & alia similia. De prioribus multa dicunt, illa suffragia post mortem facta prodesse defuncto, etiam si illi, per quos fiunt, sint in peccato. Ita videtur sentire S. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. quæst. 1. c. 1. Paulus. Bonavent. Navarrus, quos affert Suarez dista disp. 48. sect. 8. num. 15. & videtur esse iuxta communem sensum fidelium, qui ea suffragia fieri præcipiunt propter utilitatem, quam ex illis sperant. Alij dicunt, solum prodesse testatori voluntatem bonam, quia illa suffragia, vel pia opera præcepit, si tunc erat in statu gratiæ; vel, si postea gratia recuperata, eam voluntatem ratificavit: opus verò post mortem subsequutum non posse addere satisfactionem, cum iam non sit in eius potestate. Ita Suar. ibi n. 18. cum Soto, & Angles, quos affert. Qui tamen id probant ex eo, quod, neque etiam si viveret, eleemosyna facta eius iussu per famulum, potest addere satisfactionem, quando sit: quod fundamentum disp. præced. rejicimus, & diximus in unum, opus externum addere posse satisfactionem supra voluntatem præcedentem.

31. Aliunde tamen fatendum videtur, illa opera pia, quando fiunt post mortem, non posse addere satisfactionem: quia defunctus iam non est in statu satisfaciendi, nec merendi, cum si extra viam: quare, licet, si in eius vita facta fuissent, potuissent addere novam satisfactionem; post mortem tamen illam addere non possunt. Proderunt tamen impetratori: tum, quia pauperes, & illi, qui acci-

piunt eleemosynas, orabunt pro defuncto: tum etiam, quia ipsamet opera, & subsidium pauperibus, vel Ecclesiis exhibitum multum valent ad movendam divinam clementiam, ut misereatur animæ defuncti, & libentius exaudiat preces, quæ pro ipso offeruntur. Poterit etiam defuncto prodesse ad satisfactionem pro illo actio hæredis, quæ dat eleemosynam, si hæres sit in gratia; ad hoc tamen requiritur, quod hæres non solum ipsam eleemosynam, sed etiam suam actionem offerat pro defuncto. Ad quod quidem hæres non tenetur, sed ad dandam eleemosynam testatoris iussu, potest autem satisfactionem suæ operationis bonæ sibi met retinere. Vnde regulariter defuncto perinde est, quod opera pia mandentur executioni per hæredem, aut exequutorem testamenti, qui sit, vel qui non sit in statu gratiæ: proderit verò multum, si eleemosyna dentur iis, qui sunt in gratia, quorum orationes facilius pro eius anima exaudientur.

Hinc inferitur iam, quid dicendum de posterioribus operibus à testatore præscriptis, scilicet, restitutione rei alienæ, & aliis similibus, quæ exonerandæ conscientie causa fieri iubet. De quibus videtur etiam sensus fidelium esse, quod prosint defuncto, quando fiunt ad eius liberationem, quod tradunt Gabriel, & Richardus apud Suarez ubi supra n. 19. & videntur colligi ex aliquibus decretis, & nonnullis etiam revelationibus animarum, quæ petunt restitutionem citò fieri, ut ipsa liberari valeant.

In contrarium tamen est ratio valdissima: quia, si defunctus est in gratia, ut supponitur, certum est, quod soluta pena, quam ob peccatum præteritum debet, liberabitur: non enim meretur penam, eò quod tunc non fiat restitutio; sed propter restitutionem in vita omittam. Rursus restitutio ipsa, ut dicebamus, non est opus satisfactorium defuncti, cum iam ipse non sit in statu satisfaciendi: ad quid ergo potest deferre restitutio re ipsa posita in ordine ad brevioris liberationem defuncti?

Propter hoc alij docent, restitutionem illam per se loquendo, non prodesse defuncto ad satisfactionem, vel liberationem, ut fatetur Suarez ibi cum Soto, & Bellarm. quos affert, nisi per accidens, quatenus creditores vel alij excitantur ad orandum pro defuncto. Nec obstat decretum, quod opponi solet ex cap. in literis, de raptoribus, ubi hæredes iubentur restituere debita defuncti, ut valeant à defuncto liberari. Respondetur enim, litteram esse mendosam, & legi debere in plurali, ut valeant à peccato liberari, scilicet, ipsi hæredes, iuxta ea, quæ notantur in margine dicti capituli.

Adhuc tamen in gratiam communis sententiæ, & propter revelationes illas, ac communem fidelium sensum addere possumus, dupliciter posse restitutionem illam prodesse animæ defuncti ad sui liberationem. Primò, quia sæpè Deus, quamdiu non sit restitutio, non vult exaudire preces, & orationes, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à privatis pro illa anima offeruntur: congruum enim est, ut ille soluat penam, dum alij eius causa patiuntur: quare, licet soluta tota pena liberanda sit, & licet suffragia, & sacrificia prosint illi quoad fructum satisfactionis, interim tamen caret toto fructu impetrationis, quem habere posset, & hac de causa perit ab hærede restitutionem fieri debitorum. Secundo, addere possumus, penam ipsam ob dilatam restitutionem augeri posse quoad durationem, vel intensionem. Quod quidem in humana republica fieri prudenter videmus, ut qui alium iniuste læsit, gravius puniatur, dum, qui læsus est, non condonat

nat, vel sibi satisfactum esse profitetur; mitius vero illo condonante, vel satisfactione ei oblata: pœna enim etiam ad hunc finem ordinatur, ut pars læsa ob iniuriam acceptam, vindictam aliquam ab iniusto lædente accipiat. Non est ergo contra, sed iuxta æquitatem iudicii, si dicamus, idem delictum, parte non satisfacta, vel condonante, graviori pœnam sibi taxare de condigno, quam satisfacta, vel condonante parte. Potest ergo contingere, ut ob defectum solutionis differatur pœna defuncti: quia, quando pars læsa non condonat, vel ei non satisfit, pœna delicti præteriti gravior, & diuturnior esse debet: ideoque defuncti non solum restitutionem à filiis, vel hæredibus fieri petunt; sed aliquando etiam à personis offensis veniam, & remissionem petiisse leguntur; eaque obtenta gratias egisse, quasi ob impedimentum ablatum suæ liberationis.

DISPUTATIO XXVII.

De satisfactione, quæ per Indulgentias applicari solet.

SECT. I. *Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat.*

SECT. II. *Quem effectum habeat Indulgentia.*

SECT. III. *De thesauro Ecclesiæ, qui per Indulgentias dispensatur.*

SECT. IV. *Utrum Indulgentia nunquam, nisi ex thesauro, concedatur; vel è contra, thesaurus, non nisi per Indulgentias dispensetur.*

SECT. V. *An, & quomodo defunctis Indulgentia communicari possint.*

SECT. VI. *De requisitis ex parte illius, qui Indulgentiam lucratur pro seipso.*

SECT. VII. *Nonnulla dubia circa ea, quæ exigi solent ad lucrandum Indulgentiam.*

SECT. VIII. *Quotuplex sit indulgentia; à quo possit concedi; & ex qua causa; & quomodo expiret eius valor.*



ON est animus nunc tractatum de Indulgentiis dare contra Hæreticos; & controuersiam instituere de earum valore: hoc enim pertinet ad Controuersistas, qui id egregie præstiterunt, præsertim Bellarm. 3. som. lib. 1. de Indulgent. & Suarez etiam in præsent. disp. 49. & sequentibus, latissime hanc materiam complexus est. Nos breuiter indicabimus fundamenta, & rationes, quæ magis ad Scholasticum pertinent; & ex iis insinuabimus, quomodo ad dubia moralia, practica doctrina de Indulgentiis deriuanda sit.

SECTIO I.

Quid sit Indulgentia, & ex qua potestate procedat?

I.
Indulgentia
quid sit.

Indulgentiæ nomine intelligimus remissionem pœnæ temporalis debitæ ob peccata remissa quoad culpam; quæ remissio non fiat virtute Sacramentorum, vel martyri; sed per satisfactionem Christi Domini, & Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem. Esse autem in Ecclesiâ potestatem concedendi Indulgentias est de fide definitum in Tridentino sess. 25. in decreto de

Indulg. & à Leone X. in Bulla contra Lutherum, & à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra propositiones Michaelis Baij prop. 60. Constat etiam ex usu antiquissimo Pontificum, qui in re adeo graui errasse non creduntur: de quo usu videri possunt Bellarm. loca citata, & Henric. lib. 7. de Indulg. c. 3.

Dubitatur primò, an concessio Indulgentiæ sit actus potestatis Ordinis, iurisdictionis. Respondetur, non esse solius Ordinis: quia simplex Sacerdos à non potest concedere Indulgentias, cum non habeat subditos. Item, non requiri potestatem Ordinis, ut constet ex usu Ecclesiæ: solent enim Cardinales non Presbyteri, ex commissione Papæ, concedere Indulgentias; nec apparet ad quid requiratur Ordo, cum hæc non sit actio sacramentalis. Vnde sequitur, procedere à sola potestate iurisdictionis: quia censetur collata Petro per illa verba: *Pasce oues meas*, quibus non Ordo, sed iurdictio data fuit in ordine ad subditos, qui per oues appellantur. Ex quo obiter nota, non posse Pontificem Indulgentias Catechumeno concedere, cum non sit eius subditus: quod an de concessione, etiam indirecta, verum sit, constabit ex dicendis.

Dices Indulgentiæ non possunt dari inuitis, & repugnantibus: ergo non sunt actus iurisdictionis: iurdictio enim exercetur etiam in inuitum. Respondetur, non omnem actum iurisdictionis exerceri posse in inuitum: nam absolutio sacramentalis est etiam actus iurisdictionis, & non potest inuito conferri. Ratio autem est: quia hæc Indulgentiæ concessio datur, ut pastus, quo Pontifex potest pascere Christi oues: pastus autem est voluntarius. Hinc etiam sit ipsum Pontificem posse frui Indulgentiis, licet non habeat iurisdictionem coercitiuam supra se: quia, nimirum, potestatem habet pascendi oues Christi, cuius cum ipse etiam sit onis, potest participare hunc pastum, ut membrum huius ouilis, nullam exercendo iurisdictionem coercitiuam supra se, sed viendo potestatem Pastoris, quam habet.

Dubitatur secundò, an concessio Indulgentiæ sit absolutio, vel solutio. Potest enim dupliciter intelligi id fieri. Primò, ut Pontifex, tanquam thesauri dispensator, soluat pro aliquo debitore, applicando ex communi thesauro partem ad hunc effectum necessariam. Secundò verò, ita ut non solum hoc faciat; sed etiam ut Index absoluat debitorem. Aliqui dicunt, concessionem Indulgentiæ esse meram solutionem. Durand. in 4. dist. 20. quest. 3. art. 2. Sylu. verb. Indulg. num. 3. Alij dicunt, esse absolutionem. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 15. c. 2. Soto dist. 21 q. 1. art. 2. Angel. verb. Indulg. n. 1. & alij.

Tertia sententia verior dicit, respectu vinorum esse solutionem simul, & absolutionem; respectu mortuorum esse meram solutionem. Ita Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 5. Suarez in præsent. disput. 4. sect. 3. & 4. Prior pars probatur: quia quando Indulgentia conceditur viuus, non est mera condonatio pœnæ, cum verè Pontifex, simul de thesauro exhibeat, quantum sufficit ad compensandum pro illa pœna; sicut, si Princeps debitorem aliquem pecuniâ absoluat à debito, & inbeat è carcere liberari, soluendo simul ex publico ærario totum illud debitum: sic enim facit Pontifex liberando simul à debito pœnæ, & soluendo totum illud pretio dato ex ærario, & thesauro, cuius clauces habet: non est ergo mera absolutio, sed neque est mera solutio. Primò, quia Pontifices frequentissime hanc concessionem vocare solent absolutionem.